

# EPISTULA LEONINA

## LXV

PERIODICUM HEBDOMADALE  
LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ËDITUR SEMEL IN SEPTIMANĀ  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.com/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-LXIV INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

Index of leonina <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

**MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.**

**ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.**

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
QUINQUAGESIMAM QUINTAM (**65**) !

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS**

**SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*valdê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam sexagesimam quintam.*

*Haec Epistula duas habet partes principales: Grimmianam et Senecanam. Grimmiana autem complectitur duas fabellas, quae inscribuntur »Dominus Córbesus« et »De Domino Patrino«. Utrique fabellae inest est aliquid mirum et mysteriale.*

*Iam tertiam partem nunc exhibemus symbolae Wikipedianae de Senecâ scriptae Latinêque redditae. In hac parte agitur de Senecae philosophiâ; permulti loci in theodiscum conversi mihi reperiendi erant in textibus Senecae originalibus, ut in locum versionum theodiscarum supponerem verba Senecae ipsius Latinissima. En opus laboriosum spinosumque ! Sed spero haud frustra factum esse.*

**Tu autem pancraticê vale et perge mihi favere!**

**Medullitus Te salutat**

**Nicolaus Groß  
LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.com/>**

**LEO LATINUS**

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. Lunae, 18. m.Nov. a.2013




**IN MAGNIS VOLUISSE SAT EST**

**PROPERTIUS**

**48-15 a.Chr.n.**

**PROPERTIUS, Elegia 2,6,10.**

**Pictura: Propertius et Cynthia Tiburi versantes. A.1815 pinxit Auguste Jean-Baptiste Vinchon.**



## DUAE FABELLAE GRIMMIANAE

### DOMINUS CÓRBESUS

Aliquando fuerunt gallinula atque gallulus, qui unâ voluerunt iter facere. Itaque gallulus construxit pulchrum currum quattuor rotis instructum eidemque adiunxit quattuor musculos. Gallinula gallulusque cum insedissent, unâ profecti sunt. Brevi post inciderunt in cattam, quae dixit: »Quo vehimini?« Gallulus respondit:

»Ad illam villam cito petimus  
cui inest Dominus Córbesus«.

Catta: »Me, quaeso« inquit »vobiscum ducatis«. Gallulus respondit:  
»Libenter permitto, conside in loco posteriore, ne decidas ex anteriore.

Audite! Attentê caveatis,  
ne rubras rotulas polluatis.  
Heus rotulae cursate,  
heus musculi sibilate,  
Ad illam villam cito petimus  
cui inest Dominus Córbesus«.



Deinde vênit lapis molaris, tum ovum, tum anas, tum acus capitata, denique acus sutoria, qui omnes currui insederunt et unâ vecti sunt. Cum autem villam Domini Córbesi advenirent, Dominus Córbesus non adfuit. Musculi currum traxerunt in fenile, gallinula cum gallulo ad contum quendam volavit, catta consedit in camino, anas in putei tollennone, ovum manutergio se involvit, acus capitata pulvino sellae se imegit, acus sutoria insiluit in medium lecti cervical, lapis molaris ianuae se superposuit. Tum domum vênit Dominus Córbesus, ad caminum iit ignem accensurus, at catta eius faciei iniecit cinerem. Itaque Dominus Córbesus in coquinam properavit faciem abluturus, sed ibi anas eius faciei aquam inspersionis. Faciem abstergere voluit manutergio, sed ovum in eum volutum diffractum est, ut Domini Córbesi oculi conglutinarentur. Qui in sellâ consedit, ut quiesceret, sed tum punctus est ab acu capitatâ.



Irâ incensus lecto se iniecit, sed caput cervicali cum imponeret, punctus est ab acu sutoriâ, ut clamaret et iratissimus aufugere vellet quoquo terrarum. At ianuam domesticam cum adiret, a lapide molari desiliente est contusus. Dominus Córbesus videtur fuisse vir sat improbus.

\* \*  
\*

## DE DOMINO PATRINO

Viro pauperi tot fuerunt liberi, ut nullus iam homo restaret sibi nôtus, quem rogaret, ut fieret patrinus. Cum autem denuo pater esset factus, nesciens, quomodo inveniret patrinum, quo praesente infans baptizaretur, animo contristato cubitum iit et obdormivit. Tum somnio accepit sibi eundum esse ante portam et primum, quem esset conventurus, rogandum esse, ut fieret patrinus. Expergefactus vir consilium cepit, ut somnio oboediret, exiit ante portam et primum, quem convênit, rogavit, ut fieret patrinus.



Peregrinus ei lagoenulam aquâ completam donavit et: »Haec aqua« inquit »est mirabilis, eâdem fieri poterit, ut aegrotis medearis, si quidem videris, ubi stet Mors. Mors si stabit ad caput, da aegrotis aliquantulum huius aquae, ut reconvalescat, at si Mors stabit ad pedes aegroti, quidquid fiet, frustra fiet, nam aegrotis erit moriendum«. Ex hâc tempore vir semper scivit dicere, utrum aegrotus servari posset necne, propter hanc artem in claritudinem pervênit, ut multum pecuniae acciperet. Aliquando ad infantem régis vocatus cum intraret, vidit Mortem ad caput stantem infantemque aquâ sanavit, necnon sic factum est secundo, sed tertio Mors stetit ad pedes, tum infanti moriendum fuit.



Vir autem voluit patrinum visitare, ut ei narraret, quid factum esset de aquâ. Cum autem in domum patrini venisset, ibidem facta sunt mira. In primis scalis vatillum et scopae inter se rixantes unum in alteras invehebatur. Ex his quaesivit: »Ubi habitat Dominus Patrinus?« Scopae responderunt: »Proximis in scalis.« Cum vir advenisset scalas secundas, ibidem conspexit multos digitos mortuos depositos. Vir quaesivit: »Ubi habitat Dominus Patrinus?« Unus e digitis respondit: »Proximis in scalis.« In tertiis autem scalis iacebant capita mortuorum coacervata, a quibus ei dictum est, ut denuo iret ad scalas proximas. In quartis autem scalis vir conspexit pisces supra ignem stantes, qui in sartagine stridentes ipsos se frixabant. Iidem quoque locuti sunt: »Eas ad proximas scalas«. Ad quintas autem scalas cum vir ascendisset, vênit ante conclave, per foramen clavis conspexit patrinum, qui erat duobus cornibus longis instructus. Cum ianuâ apertâ intravisset, patrinus properê in lecto collocatus opertorio se obtexit. Tum vir: »Domine patrine, quaenam res mirae fiunt in domo tuâ? Cum venissem in scalas tuas primas, vatillum et scopae inter se rixantes unum in alteras vehementer est invectum.« »Oh quam simplex es« patrinus inquit »illi fuerunt servus et ancilla inter se colloquentes.« »At in alteris scalis vidi digitos mortuos iacentes.« »Eheu, quam stultus es! Illae fuerunt radices scorzonerae.« »At tertiis in scalis coacervata erant capita mortuorum.« »Stupide vir, illa erant capita brassicarum.« »At quartis in scalis vidi pisces in sartagine positos, qui stridentes se ipsos frixabant.« His dictis illi pisces venerunt seque ipsos in mensâ apposuerunt. »Cum autem quintas scalas ascendissem, per foramen clavis ianae conspexi te, patrine, et tu instructus eras cornibus longis.« »Vah, haec non sunt vera.« Tum vir timore correptus aufûgit, - et quis scit, alioquin quid Dominus Patrinus ei facturus fuerit.

## DE SENECA PHILOSOPHO (III)

Symbola, quam e Wikipediâ encyclopaediâ liberâ excerptam in Latinum convertit *Nicolaus Groß*.

Seneca quomodo philosophatus sit



Seneca, qualem delineavit *Lucas Vorsterman* (1595-1675).

Seneca non contendit se invenisse novum systema philosophicum, sed se doctrinâ Stoicâ nixum sua propria contulisse. Viri docti aetatis novae interdum praeproperê in dubium vocabant, num Seneca reverâ fuisset philosophus. Itaque *Gregorius Maurach* librum suum de Senecâ scriptum incohavit quaestione (scilicet sensu rhetorico propositâ) quae est: „*Fuitne*



*Seneca philosophus?*<sup>1</sup> At Seneca ipse in scriptis suis nobis reliquit multa indicia, quae spectant ad rationem suam philosophandi, e.g. in sexagesimâ quartâ epistolâ ad Lucilium scriptâ:

„[7] Veneror itaque inventa sapientiae inventoresque; adire tamquam multorum hereditatem iuvat. Mihi ista acquisita, mihi laborata sunt. Sed agamus bonum patrem familiae, faciamus ampliora quae accepimus; maior ista hereditas a me ad posteros transeat. Multum adhuc restat operis multumque restabit, nec ulli nato post mille saecula praeccludetur occasio aliquid adhuc adiciendi. [8] Sed etiam si omnia a veteribus inventa sunt, hoc semper novum erit, usus et inventorum ab aliis scientia ac dispositio.“<sup>2</sup>

In epistolâ suâ nonagesimâ Seneca de vi atque usu philosophiae suae scribit his verbis, quae sequuntur:

„[1] Quis dubitare, mi Lucili, potest quin deorum immortalium munus sit quod vivimus, philosophiae quod bene vivimus? Itaque tanto plus huic nos debere quam dis quanto maius beneficium est bona vita quam vita pro certo haberetur, nisi ipsam philosophiam di tribuissent; cuius scientiam nulli dederunt, facultatem omnibus. [2] Nam si hanc quoque bonum vulgare fecissent et prudentes nasceremur, sapientia quod in se optimum habet perdidisset, inter fortuita non esse. Nunc enim hoc in illa pretiosum atque magnificum est, quod non obvenit, quod illam sibi quisque debet, quod non ab alio petitur. Quid haberes quod in philosophia suspiceres si beneficiaria res esset? [3] Huius opus unum est de divinis humanisque verum invenire; ab hac numquam recedit religio, pietas, iustitia et omnis alius comitatus virtutum consertarum et inter se cohaerentium. Haec docuit colere divina, humana diligere, et penes deos imperium esse, inter homines consortium.“<sup>3</sup>

In epistolâ sextâ decimâ Lucilium adhortatur, ut colat philosophiam:

“[5] Quidquid est ex his, Lucili, vel si omnia haec sunt, philosophandum est; sive nos inexorabili lege fata constringunt, sive arbiter deus universi cuncta disposuit, sive casus res humanas sine ordine impellit et iactat, philosophia nos tueri debet.“<sup>4</sup>

At Seneca non opinatur philosophiam esse rem a quovis homine tractandam. Îdem saepe verbis effert philosophiam esse vulgi cupiditatibus oppositam, argumentum philosophi eo praevalere, quod differat a vulgi sententiâ.<sup>5</sup> Seneca explicat, quantum philosophia valeat ad rectê vivendum. Non agi de verbis pulchrê factis, sed de rebus:

„[3] Non est philosophia populare artificium nec ostentationi paratum; non in verbis sed in rebus est. Nec in hoc adhibetur, ut cum aliqua oblectatione consumatur dies, ut dematur otio

---

<sup>1</sup> cfr Maurach a.2005, p.1.

<sup>2</sup> Epistolae morales 64, 7sq.

<sup>3</sup> Epistolae morales 90, 1-3.

<sup>4</sup> Epistolae morales 16, 5.

<sup>5</sup> v. e.g. opus, c.t. *De brevitate vitae*, ubi Seneca passim patefacit se sic sentire.

nausia: animum format et fabricat, vitam disponit, actiones regit, agenda et omittenda demonstrat.“<sup>6</sup>

Brevi quoque tempore ante vitae suae finem Seneca hanc sententiam affert:

„Philosophum audio et quidem quintum iam diem habeo ex quo in scholam eo et ab octava disputantem audio. ... [3] Tamdiu discendum est quamdiu nescias; si proverbio credimus, quamdiu vivas. Nec ulli hoc rei magis convenit quam huic: tamdiu discendum est quemadmodum vivas quamdiu vivas. Ego tamen illic aliquid et doceo. Quaeris quid doceam? etiam seni esse discendum. [4] Pudet autem me generis humani quotiens scholam intravi. Praeter ipsum theatrum Neapolitanorum, ut scis, transeundum est Metronactis petenti domum. Illud quidem fartum est, et ingenti studio quis sit pythaulus bonus iudicatur; habet tubicen quoque Graecus et praeco concursus: at in illo loco in quo vir bonus quaeritur, in quo vir bonus discitur, paucissimi sedent,....“<sup>7</sup>

### Senecam Stoicum esse sui generis

Praeter *Marcum Aurelium* et *Epictetum* Seneca in numerum refertur Stoeae minoris philosophorum praestantissimorum. Senecâ nascente praecepta huius scholae philosophorum Atheniensis iam exstiterant ex 300 annis. Ex secundo saeculo a.Chr.n. doctrina Stoica magis magisque accepta est a viris, qui praeerant rei publicae Romanae. Nam praecepta Stoica bene congruebant cum iis, quae his viris Romanis videbantur de salute communi curandâ. At Romae praeter Stoicos aliae autem sectae philosophorum et religio popularis multum valebant.

Seneca paratus quidem erat sententias aliarum philosophiae sectarum comprobatas recipere, sed non concessit, ut dubitaretur de persuasione suâ principali. Ut expressis verbis philosophiam suam distinguat ab opinionibus aliorum philosophorum, quos dicit nimis molles esse, verbis effert Stoicos non id primum curare, ut via sit amoena atque iucunda:

„Ceteri sapientes molliter et blande, ut fere domestici et familiares medici aegris corporibus, non qua optimum et celerrimum est medentur sed qua licet: Stoici uirilem ingressi viam non ut amoena ineuntibus uideatur curae habent, sed ut quam primum nos eripiat et in illum editum uerticem educat qui adeo extra omnem teli iactum surrexit ut supra fortunam emineat.“<sup>8</sup>

In vertice autem a Senecâ commemorato is, qui animo firmissimo ascendit, adipiscitur concordiam animi constantem, quae simul est concordia hominis et naturae ordinisque universalis: „[...] summum bonum esse animi concordiam.“<sup>9</sup> Ad hanc concordiam homo secundum Senecam non

<sup>6</sup> Epistulae morales 16,3.

<sup>7</sup> Epistulae morales 76, 1-4.

<sup>8</sup> De constantia I, 1.

<sup>9</sup> De vita beata VIII 6

ducitur nisi a ratione, quam sic explicat: „Ratio autem nihil aliud est quam in corpus humanum pars divini spiritus mersa“.<sup>10</sup>

Nullâ re nisi ratione possunt cohiberi affectûs animi, quibus cohibitis secundum praecepta Stoicorum via patefit, quae ducit ad summum bonum. Ad hanc doctrinam spectant verba sequentia, quae Seneca facit in opusculo, quod inscribitur *De irâ* (ira autem habebatur pro affectu animi, qui est difficillimus cohibitu):

„Quid seruo, quid domino, quid regi, quid clienti tuo irasceris? Sustine paulum: uenit ecce mors quae uos pares faciat. ... Quieti potius pacatique quantulumcumque superest exigamus; nulli cadauer nostrum iaceat inuisum.“<sup>11</sup>

Item superandi sunt alii affectûs animi et perturbationes, velut voluptas, taedium, cupiditas, timor. Itaque summa Stoici virtus est animus, qui ratione ab omni perturbatione est liberatus. Seneca iterum iterumque profitetur philosophiam sibi traditam et a se receptam. Id sibi proposuit, ut huius philosophiae praecepta ad condiciones mutatas adaptaret.

„[11] Quid ergo? non ibo per priorum vestigia? ego uero utar uia uetere, sed si propiorem planioremque inuenero, hanc muniam. Qui ante nos ista mouerunt non domini nostri sed duces sunt. Patet omnibus ueritas; nondum est occupata; multum ex illa etiam futuris relictum est.“<sup>12</sup>

### **Hominem uinculis officiisque societatis obligatum esse**

Seneca – ut omnes Stoici posteriores – praecipuê tractauit quaestiones recte uivendi, i.e. disciplinam ethicam, sine qua hominem beatum fieri non posse ei persuasum fuit. Virtus Senecae uisa est summum bonum eo, quod eadem homo adipisceretur animi tranquillitatem: „cum possis dicere 'summum bonum est quod honestum est' [...] uirtus autem non potest maior aut minor fieri: unius staturae est.“<sup>13</sup>

Oportere, ut homines uiuant secundum lēges naturae et inter se discernant res inuicabiles et res, ad quas homo possit uim habere. Praeterea Seneca homines adhortatur, ut participes fiant rei publicae, ut munera suscipiant socialia, ut amicitias colant:

„Nec potest quisquam beate degere qui se tantum intuetur, qui omnia ad utilitates suas conuertit: alteri uiuas oportet, si uis tibi uiuere. [3] Haec societas diligenter et sancte obseruata, quae nos homines hominibus miscet et iudicat aliquod esse commune ius generis humani, plurimum ad illam quoque de qua loquebar interiorem societatem amicitiae colendam proficit;...“<sup>14</sup>

<sup>10</sup> Epistulae morales 66,12.

<sup>11</sup> De ira III, XLIII, 1f.

<sup>12</sup> Epistulae morales 33, 11

<sup>13</sup> Epistulae morales 71, 4/8.

<sup>14</sup> Epistulae morales 48, 3.

Ex alterâ parte Seneca etiam verbis effert, quam ambigua sit indoles humana et quantum valeat solitudo communitati opposita:

„Miscenda tamen ista et alternanda sunt, solitudo et frequentia. Illa nobis faciet hominum desiderium, haec nostri, et erit altera alterius remedium: odium turbae sanabit solitudo, taedium solitudinis turba..“<sup>15</sup>



Ecce Seneca Platoni et Aristoteli interpositus. Haec pictura invenitur in manuscripto mediaevali.

Seneca exponit homines originaliter inter se aequos fuisse:

<sup>15</sup> De tranquillitate animi XII 3.

„Eadem omnibus principia eademque origo; nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium et artibus bonis aptius.“<sup>16</sup>

Ad Platonem provocans verbis effert forte fortunâ tantum factum esse, ut ordines atque dignitates hominum inter se differant et perfacile fieri posse, ut inferiores extollantur, superiores humilientur. Oportere, ut homines suo Marte proficere studeant:

„Platon ait neminem regem non ex servis esse oriundum, neminem non servum ex regibus. Omnia ista longa varietas miscuit et sursum deorsum fortuna versavit. [5] [...] animus facit nobilem, cui ex quacumque condicione supra fortunam licet surgere.“<sup>17</sup>

Nemo beatam vitam degere posse, qui sibi ipsi tantum consulat et nihil maius ducat quam commodum proprium. Beatitudinem fieri facultate amicitiae secum ipso et cum aliis iungendae. Sed non ultra limites quosdam amicitiam esse colendam Lucilio suo explicat in epistulâ undetricesimâ, ubi loquitur de Marcellino amico communi:

„Raro ad nos venit, non ulla alia ex causa quam quod audire verum timet, a quo periculo iam abest; nulli enim nisi audituro dicendum est.“<sup>18</sup>

Seneca verbis effert, quantum valeat liberalitas: „Demus sic, ut ipsi accipere velimus: praecipue libenter, cito, sine ulla cunctatione.“<sup>19</sup> Fieri quidem posse, ut benefactor det acceptori non digno, sed alia occasione dari digno homini<sup>20</sup>:

„Cito inerti otio vita torpebit, si relinquendum est quidquid offendit. [...] Non enim exercentur ad praemium: recte facti fecisse merces est.“<sup>21</sup>

Secundum Senecam sapiens Stoicus animi tranquillitate praeditus aliorum factis non potest perturbari, i.e. sapiens aliquatenus est inviolabilis: „Iniuria in bonos nisi a malis non temptatur; bonis inter se pax est...“<sup>22</sup>

Seneca in epistulâ ad Lucilium nonagesimâ – similiter ac post eum *Iohannes Iacobus Russo* de »Contractu sociali« scribens<sup>23</sup> – statum hominum quodammodo naturalem distinguit a statu societatis, quae hōc tempore invenitur:

<sup>16</sup> De beneficiis 3,28,1.

<sup>17</sup> Epistulae morales 44, 4sq.

<sup>18</sup> Epistulae morales 29, 1; paulo post dicit (29, 4): „[4] Marcellinum nostrum ego nondum despero; etiam nunc servari potest, sed si cito illi manus porrigitur. Est quidem periculum ne porrigentem trahat; magna in illo ingeni vis est, sed iam tendentis in pravum. ...“.

<sup>19</sup> Doleo, quod haec verba ab auctore Wikipediano citata non inveni apud Senecam ipsum! (N.G.)

<sup>20</sup> Epistulae morales 81, 2.

<sup>21</sup> Epistulae morales 81, 19.

<sup>22</sup> De constantia 7, 2.

<sup>23</sup> Jean-Jacques Rousseau, »Contrat social“.

„...inter homines consortium. Quod aliquamdiu inviolatum mansit, antequam societatem avaritia distraxit et paupertatis causa etiam iis quos fecit locupletissimos fuit; desierunt enim omnia possidere, dum volunt propria. [4] Sed primi mortalium quique ex his geniti naturam incorrupti sequebantur...“

Naturâ necessarium esse, ut in societate duces non fiant nisi animorum facultate aptissimi. Nam verâ auctoritate eum tantummodo esse, qui potestate non utatur nisi ad officium explendum:

„inter homines pro maximo est optimum. Animo itaque rector eligebatur, ideoque summa felicitas erat gentium in quibus non poterat potentior esse nisi melior; tuto enim quantum vult potest qui se nisi quod debet non putat posse.“<sup>24</sup>

Seneca autem – aliter ac Russo – conclusiones magis refert ad singulos homines, cum facit verba haec:

„Deerat illis (sc. hominibus aetatis priscae) iustitia, deerat prudentia, deerat temperantia ac fortitudo. Omnibus his virtutibus habebat similia quaedam rudis vita: virtus non contingit animo nisi instituto et edocto et ad summum adsidua exercitatione perducto.“<sup>25</sup>

Aetatem auream, qua sapientes rexerant nemine contradicente, Seneca describit secundum Posidonium; illâ transactâ incohatam esse aetatem antiquitatis historicam, quam Seneca novisset usque ad principatûs initia:

„[6] Sed postquam subrepentibus vitiis in tyrannidem regna conversa sunt, opus esse legibus coepit, quas et ipsas inter initia tulere sapientes..“

Hôc loco Seneca commemorat Solonem et Lycurgum lêgis latores Athenarum Spartaëque.<sup>26</sup> Seneca, cum et imperaverit et imperatori subditus sit, bene scit iudicare de ratione, quae intercedit philosopho et imperatori:

„[1] Errare mihi videntur qui existimant philosophiae fideliter deditos contumaces esse ac refractarios, contemptores magistratuum aut regum eorumve per quos publica administrantur. Ex contrario enim nulli adversus illos gratiores sunt, nec immerito; nullis enim plus praestant quam quibus frui tranquillo otio licet.“<sup>27</sup>

Etsi imperator potestate suâ etiam tutatur homines philosophiae imperitos, tamen Senecae persuasum est pacis beneficium altius ad eos pervenire, qui pace bene utantur:

<sup>24</sup> Epistulae morales 90, 3f.

<sup>25</sup> Epistulae morales 90, 46.

<sup>26</sup> Epistulae morales 90, 5sq.

<sup>27</sup> Epistulae morales 73,1.

„...sic huius pacis beneficium ad omnis pertinentis altius ad eos pervenit qui illa bene utuntur.“<sup>28</sup>

Cives autem oportet participes sint rei publicae, quamvis parvam tantum vim habeant ad rem publicam.

„Numquam inutilis est opera cuius boni: auditus est uisusque. Vultu, nutu, obstinatione tacita incessuque ipso prodest.“<sup>29</sup>

Cum loquitur de civitate, verba sua non solum refert ad civitatem propriam, sed etiam ad totum mundum: ut est Stoicus, Seneca se ipsum considerat civem mundanum, cui mandatum sit, ut virtuti det campum latiore:

„4 Ideo magno animo nos non unius urbis moenibus clusimus, sed in totius orbis commercium emisimus patriamque nobis mundum professi sumus, ut liceret latiore uirtuti campum dare.“<sup>30</sup>

### **Senecam (pro captu suae aetatis) defendere iura feminarum servorumque**

De altero sexu Seneca iudicavit ratione ambiguâ. Ut plerique viri suae aetatis, Seneca quoque feminas putabat esse minoris momenti quam viros. Nec sibi temperabat, quin feminas non eruditas aequaret cum animalibus feris:

„1. Tanta quosdam dementia tenet ut sibi contumeliam fieri putent posse a muliere. Quid refert quam <beatam> habeant, quot lexicarios habentem, quam oneratas aures, quam laxam sellam? aequae imprudens animal est et, nisi scientia accessit ac multa eruditio, ferum, cupiditatum incontinens“<sup>31</sup>

Itaque ira a Senecâ consideratur „*muliebri maximè ac puerile vitium*“, quod incidat in viros quoque:

„Ita ira muliebri maxime ac puerile vitium est. 'At incidit et in uiros.' Nam uiris quoque puerilia ac muliebria ingenia sunt.“<sup>32</sup>

Cum Seneca hinc loco apparet de mulieribus irreverenter loqui, in consolationibus, quas scripsit Marciae matrique suae, multo reverentius mulieres considerat. Ita scripsit ad Marciam:

---

<sup>28</sup> Epistulae morales 73,5.

<sup>29</sup> De tranquillitate animi IV 6.

<sup>30</sup> De tranquillitate animi IV 4.

<sup>31</sup> De constantia 14,1.

<sup>32</sup> De ira I, XX 3.

„Quis autem dixit naturam maligne cum mulierum ingeniis egisse et uirtutes illarum in artum retraxisse? par illis, mihi crede, uigor, par ad honesta, libeat <modo>, facultas est; dolorem laboremque ex aequo, si consueuere, patiuntur.“<sup>33</sup>

In consolatione autem, quam scripsit matri Helviae, expressis verbis vituperat rationem mulieres considerandi traditam, qua ipse Senecae pater usus erat:

„4. Vtinam quidem uirorum optimus, pater meus, minus maiorum consuetudini deditus uoluisset te praeceptis sapientiae erudiri potius quam inbui! non parandum tibi nunc esset auxilium contra fortunam sed proferendum. Propter istas quae litteris non ad sapientiam utuntur sed ad luxuriam instruuntur minus te indulgere studiis passus est.“<sup>34</sup>

His verbis Seneca comprobat quidem patri suo licuisse decernere, quid fieret de matre, sed vituperat, quod pater matrem parum curauerit erudiendam eique interdixerit, ne coleret litteras doctas. Ergo Seneca hōc loco affirmat mulieres esse erudiendas ideoque apparet esse philosophus, qui desistat ab opinionibus traditis.

Ut quidam contemptus mulierum, sic etiam seruitus servorumque munera ordini sociali Graecorum Romanorumque inhaerebant. Servi iure aequabantur cum rebus, quas possessoribus licebat tractare ad libitum, originaliter poenâ crudeli et necatione inclusis. At Seneca de servis tractandis omnino aliter iudicat:

„[11] Nolo in ingentem me locum immittere et de usu servorum disputare, in quos superbissimi, crudelissimi, contumeliosissimi sumus. Haec tamen praecepti mei summa est: sic cum inferiore vivas quemadmodum tecum superiorem velis vivere. [...] [13] Vive cum servo clementer, comiter quoque, et in sermonem illum admitte et in consilium et in convictum. [...] Quidam cenent tecum quia digni sunt, quidam ut sint; si quid enim in illis ex sordida conversatione servile est, honestiorum convictus excutiet. [16] Non est, mi Lucili, quod amicum tantum in foro et in curia quaeras: si diligenter attenderis, et domi inuenies. Saepe bona materia cessat sine artifice: tempta et experire.“<sup>35</sup>

E verbis supra allatis apparet Senecam inter viros antiquitatis paucos referendum esse, qui seruitutem ratione criticâ consideraverint. Verisimile est Romanos ordinum superiorum Senecae in hac re non assensos esse.<sup>36</sup>

At Seneca haud reprobavit, quod more tradito infantes deformes post partum necabantur:

<sup>33</sup> De consolatione ad Marciam XVI 1.

<sup>34</sup> De consolatione ad matrem Helviam XVII 4.

<sup>35</sup> Epistulae morales 47, 11ff.

<sup>36</sup> cfr K. Bradley: *Slavery and Society at Rome*. Cambridge 1994, p. 132-145.



„portentosos fetus extinguimus, liberos quoque, si debiles monstrosique editi sunt, mergimus; nec ira sed ratio est a sanis inutilia secernere.“<sup>37</sup>

## Senecam magni facere libertatem individui

Ratione suâ propriâ Seneca philosophus quamquam expressis verbis vim fati inevitabilem affirmat, tamen etiam verbis effert oportere, ut homo utatur libertate sui ipsius. Îdem malam esse putat omnem obnoxietatem, quae immineat libertati animi: „perit libertas nisi illa contemnimus quae nobis iugum inponunt.“<sup>38</sup> Beatitudinem vitae autem effici dicit ex formulâ sequenti, quae videtur simplex esse:

„[2] 'Qui prudens est et temperans est; qui temperans est, et constans; qui constans est inperturbatus est; qui inperturbatus est sine tristitia est; qui sine tristitia est beatus est; ergo prudens beatus est, et prudentia ad beatam vitam satis est.“<sup>39</sup>

Aliis autem locus philosophus explicat hanc formulam beatitudinis raro perfectê adhiberi posse hominisque in hac re naturam esse difficilem:

„[27] Non educo sapientem ex hominum numero nec dolores ab illo sicut ab aliqua rupe nullum sensum admittente summoveo. Memini ex duabus illum partibus esse compositum: altera est irrationalis, haec mordetur, uritur, dolet; altera rationalis, haec inconcussas opiniones habet, intrepida est et indomita. In hac positum est summum illud hominis bonum. Antequam impleatur, incerta mentis volutatio est; cum vero perfectum est, immota illi stabilitas est.“<sup>40</sup>

Seneca hîc loco quadamtenus luctatur cum infirmitate suâ propriâ:

„[36] Instemus itaque et perseveremus; plus quam profligavimus restat, sed magna pars est profectus velle proficere. Huius rei conscius mihi sum: volo et mente tota volo.“<sup>41</sup>

Idem studet quoque, ne cogitans obnoxius sit opinionibus populi. Hîc provocat ad Epicurum:

„Numquam volui populo placere; nam quae ego scio non probat populus, quae probat populus ego nescio.“<sup>42</sup>

Seneca affirmat de hac re omnes philosophos graviores inter se consentire, sive Epicureos sive Peripateticos sive Academicos sive

<sup>37</sup> De ira I, XV 2.

<sup>38</sup> Epistulae morales 85, 28.

<sup>39</sup> Epistulae morales 85, 2.

<sup>40</sup> Epistulae morales 71, 27.

<sup>41</sup> Epistulae morales 71, 36.

<sup>42</sup> Epistulae morales 29, 10.

**Stoicos sive Cynicos; et severê vituperat omnes qui quaerant favorem popularem:**

„malis artibus popularis favor quaeritur. Similem te illis facias oportet: non probabunt nisi agnoverint. [...] conciliari nisi turpi ratione amor turpium non potest. [12] Quid ergo illa laudata et omnibus praeferenda artibus rebusque philosophia praestabit? scilicet ut malis tibi placere quam populo, ut aestimes iudicia, non numeres, ut sine metu deorum hominumque vivas, ut aut vincas mala aut finias.“<sup>43</sup>

**Seneca vitam degens maximê id studet, ut ope rationis adipiscatur innocentiam infantis modo nati:**

„peiores morimur quam nascimur. Nostrum istud, non naturae vitium est. Illa nobiscum queri debet et dicere, 'quid hoc est? sine cupiditatibus vos genui, sine timoribus, sine superstitione, sine perfidia ceterisque pestibus: quales intrastis exite'. Percepit sapientiam, si quis tam securus moritur quam nascitur.“<sup>44</sup>

### **Quid Seneca sentiat de deo et de morte**

**Seneca deum considerat ratione intricatâ. Pro contextu sermonis loquitur aut de “deis” aut de “divino” aut de “deo”. Philosophus explicat, quaenam ratio intercedat deo et homini:**

„[2] Ita dico, Lucili: sacer intra nos spiritus sedet, malorum bonorumque nostrorum observator et custos; hic prout a nobis tractatus est, ita nos ipse tractat. Bonus vero vir sine deo nemo est: an potest aliquis supra fortunam nisi ab illo adiutus exsurgere? Ille dat consilia magnifica et erecta.[...] Quemadmodum radii solis contingunt quidem terram sed ibi sunt unde mittuntur, sic animus magnus ac sacer et in hoc demissus, ut propius [quidem] divina nossemus, conversatur quidem nobiscum sed haeret origini suae; illinc pendet, illuc spectat ac nititur, nostris tamquam melior interest.“<sup>45</sup>

**Sapientem et deum artissime inter se cohaerere:**

„tantum sapienti sua quantum deo omnis aetas patet. Est aliquid quo sapiens antecedit deum: ille naturae beneficio non timet, suo sapiens. [12] Ecce res magna, habere imbecillitatem hominis, securitatem dei. Incredibilis philosophiae vis est ad omnem fortuitam vim retundendam.“<sup>46</sup>

---

<sup>43</sup> Epistulae morales 29, 11f.

<sup>44</sup> Epistulae morales 22,15

<sup>45</sup> Epistulae morales 41, 2 und 5.

<sup>46</sup> Epistulae morales 53, 11sq.

<sup>47</sup> cfr Fuhrmann, p. 318f.; „Im Grunde hat sich Seneca sowenig wie Cicero entscheiden mögen.“

De morte, qua sapiens Senecanus clarê distinguitur a deo, Seneca doctrinis traditis usus varia opinatur<sup>47</sup>:

„Mors quid est? aut finis aut transitus. Nec desinere timeo - idem est enim quod non coepisse -, nec transire, quia nusquam tam anguste ero.“<sup>48</sup>

In septuagesimâ autem epistolâ ad Lucilium scriptâ Seneca iterum verbis effert omni homini esse ius vitam suam possidendi necnon finiendi:

„...Hoc est unum cur de vita non possimus queri: neminem tenet. Bono loco res humanae sunt, quod nemo nisi vitio suo miser est. Placet? vive: non placet? licet eo reverti unde venisti.“<sup>49</sup>

**(QUARTA PARS SEQUETUR !)**

**HANC  
SYMBOLAM WIKIPEDIANAM  
DE SENECA PHILOSOPHO SCRIPTAM  
IN LATINUM CONVERTIT**



**LEO LATINUS**

NICOLAUS GROSS

<http://www.leolatinus.com/>

---

<sup>48</sup> Epistulae morales 65, 24.

<sup>49</sup> Epistulae morales 70, 15.

# DE RAPTORE HOTZENLOTZIO

Fabula Casparuli

quam theodiscê narravit

**Otfried Preußler**

in Latinum convertit

**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoria, quae appellatur

**LEO LATINUS**

Hic liber habet 136 (centum triginta sex) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 24 (viginti quattuor) paginas. Liber constat 25 € (viginti quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur **LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM**



#### FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA

Fabella palaeoindica a Nicolao Groß e sanscrito in Latinum sermonem conversa et adnotatiunculis instructa.

Adiecta est Richardi Schmidt indologi praeclari versio Latina cuiusdam textûs e Kamasutra excerpti.

Fabella palaeoindica, c.t. „Textor se deum Visnum esse simulans“ (continetur opere fabellarum collectio, quod inscribitur „Pancakhyika“, textus est excerptus e libro Adolphi Stenzleri, c.t. Liber linguae sanscritae elementarius), e sanscrito in Latinum sermonem conversus. Copioso glossario Latino necnon textu instructus, qui est e versione Kamasutrae Latinâ Richardi Schmidt indologi illustris excerptus.

Textor pauper tam vehementer incidit in amorem cuiusdam principissae, ut sagittâ dei amoris ictus animo relinquatur. Cum resipuerit, rogat amicum carpentarium, ut sibi struat rogum, quia omnino nullam invenit rationem, qua appropinquet principissae ideoque vitam suam non iam sustineat. At amicus scit, quid suadeat: Qui textori construit machinam volatilem, quae simillima est Garudae, avi Visnui dei, textoremque instruit huius dei omnibus insignibus. Iisdem instructus textor nocte volat in conclave principissae dormitorium, ei dicit se esse deum Visnum affirmatque se, cum in eius amorem inciderit, - sibi deo hoc licere – illam ducturum esse in matrimonium Gandharvianum, i.e. statim atque sine ullis sollempnibus. Puella, qua sit animi simplicitate, cum sibi videatur esse honoratissima, libenter assentitur; ita fit, ut ambo unâ degant noctem (necnon multas sequentes) secundum praecepta Kamasutrae. Rex reginaque, cum a gynaecophylacibus certiores facti in corpore inveniant vestigia morsiuncularum amoris, primo indignatissimi iurant se filiae temptatorem punituros esse crudelissimè. Cum acciperent nocte filiam suam concumbere deo supremo, tum eorum indignatio mutatur in veram animi inflammationem, superbiam, potestatis cupiditatem: Rex, cum generi auxilio confisus sit paratus ad dominatum mundi suscipiendum, statim impetum facit in omnes civitates propinquas. Sed eadem cum regem repellat terramque régis expugnent, usque dum eidem nihil relinquatur nisi urbs regni principalis, urgeret rogat generum de auxilio divino iam pridem expectato. At eidem genero res nunc in summum discrimen adducta est: qui desperatus vult pugnans mori. Tum ultimo momento temporis verus Visnuus deus rei se interponit...

Haec narratiuncula lepida atque amabilis, quae habet magnam expectationem, spectat ad genus novellarum, quas Otto Weinreich appellavit „fraudem Nectanebonis“. Ad idem genus refertur fabula Bocatiana fratris Alberti, qui mulieri pulchrae piaeque dicit se esse Gabrielem archangelum, ut cum illâ pernoctet...



# ***Recitator***

Fabula romanica  
quam theodiscê scripsit  
**Bernhard Schlink**

in Latinum convertit  
**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoriâ, quae appellatur  
**LEO LATINUS**

Senden in oppido Bavarïæ Suebicæ  
a. 2012

**Hic liber habet 291 (ducentas nonaginta unam) paginas. Versioni fabulae completae adiunctum est glossarium abundantissimum, quod continet 91 (nonaginta unam) paginas. Liber constat 45 € (quadraginta quinque euronibus) et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: [SPQR@LEOLATINUS.COM](mailto:SPQR@LEOLATINUS.COM) Libri numerus internationalis est ISBN 978-3-938905-32-6. TOLLE LEGE !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
SEXAGESIMAM QUINTAM**

**EL 65**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE COMPOSUIT**

**d. Lunae, 18. m. Nov. a.2013**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.com/>**